









12

EXERCITATIONUM PHYSICARUM  
DISPUTATIO TERTIA.  
De  
FORMA ET NA-  
TURA.

BONO cum DEO

*In illustri Leucoreâ ad ventilandum publicè placido Eruditorum  
examine proposita.*

PRÆSIDE

M. JOHANNNE FRID. Tatinghoff  
Enchusa - Batavo,

*Respondente*

MATTHIA SETHO,  
Welovio Boruff.

*Ad d. XVII. Augusti.*

---

WITTEBERGÆ.

Excudebat JOHANNES HAKE. MDC LIII.



FORMA ET NA  
TUR A  
MICHAELIS  
MARTINUS





Exercitationum Physicarum.

DISPUTATIO III.

THESIS I.

**M**ateria cum ex se operationis omnis expers sit, nec per se totum compositum constituere valeat, hinc Forma accedat necesse est, quæ Aristoteli 2. Post. Anal. c. 11. est ἡ ἐν εἶναι. 2. Phys. c. 3. & 4. Metaph. c. 2. λόγος τὸ τί ἦν εἶναι, ac 1. de gener. Anim. c. 1. λόγος τῆς ὕλης: Forma namq; dat esse corporis, dat distingui, dat operari. Per formam suam canis est canis, essentiamq; caninam habet, servat & retinet: per formam suam canis distinguitur à Leone, fele, bove &c. per formam suam canis latrat, actionesque suas tam vegetativas, quam sensitivas edit & exercet: ut ineptus planè sit Gorleus qui exercit. 14 Antiperipat. p. 250. 259. vult, materiam & formam partes corporis non esse, sed corpus habere simplicem unam essentiam corpoream, per quam sit corpus, sicut Angelus simplicem spiritualem habet, per quã est Spiritus: At si nec forma, nec materia detur, corpora certè, quæ fiunt, necesse est ex nihilo fieri, & quæ intereunt, in nihil interire. Sed nullum corpus potest aliquid ex nihilo facere, aut in nihilum redigere, quia hæc est actio solius Dei. Plura tamen corpora singulis diebus generantur. E. Respondet ille quidem & fusè probat exercit. 14. 19. absurdum non esse, omnia quæ fiunt, ex nihilo fieri, quæ intereunt, in nihilum interire, sed argumenta valdè levia producit. Unum examinare lubet. Si res inquit, non fiat ex nihilo, fit ex aliquo illud aliquid aut manet illud, quod est, & fit hæc res, aut desinit esse, quod est, & ex eo fit hæc res: neutrum dici potest. Si illud aliquid manet, quod est, & fit alia res, retinet suam essentiam & accipit aliam; habebit igitur simul, duas distinctas essentias &c. Resp. I. si hæc argumentatio esset legitima, etiam horologium;





gium, & quodcunque corpus aliud artificiale fieret ex nihilo (quod tamen apertè absurdum, & contra sensus experientiam; horologium enim fieri ex rotulis, tubulis, ponderibus, vel spiris, nemo est qui ignorat) nam pari modo argumentarer: Si horologium non fiat ex nihilo, fit ex aliquo, illud aliquid, aut manet illud quod est, & fit hæc res, puta horologium, aut definit esse quod est, & fit hæc res. Neutrum dici potest. Si illud aliquid (nempe tubi, rotulae &c.) manet, & fit alia res (horologium) retinet suam essentiam, & accipit aliam: habebit igitur simul duas distinctas essentias. Unde resp. 2. totam hanc argumentationem non ferire nos, sed Peripateticos, transmutationis elementorum Patronos: Contra quos hoc argumentum, vim aliquam habere non diffiteor: sed contra nos, nullam: neque enim nos docemus, corpus naturale ex materia & forma fieri per materiae & formae in corpus mutationem: tunc enim hoc sequeretur absurdi, quod in illa mutatione, si permanerent materia & forma, utraque & suam simul, & corporis retineret essentiam; sed dicimus & statuimus, quod materia & forma, salvis eorum essentiis manentibus, concurrant ad constituendum compositum: quæ compositi essentia eadem quidem est cum materia & forma simul sumptis, sed non seorsim consideratis: sic enim formæ essentia diversa est à compositi essentia, non aliter ac homo distinguitur ab animâ rationali, horologium à partibus constituentibus: falsum itaque est, quod ex nostrâ sententiâ, duæ distinctæ essentiae simul in eodem subjecto ponantur: essentia compositi non est in forma, nec formæ essentia in composito, quatenus est composito: sed utrumque suam retinet essentiam. Responderi etiam potest, non esse absurdum, si in uno corpore duas distinctas ponamus essentias, incompletam alteram, quæ est materia & forma, seorsim spectata, & compositum, ex iis simul sumptis, & unitis resultans; Sed res eodem redit.

*An detur  
forma?*

2.

Verum alia gravior hinc oritur difficultas, quæ hujus magi.



gis est loci: Num in rerum naturâ forma dentur, sive existant? frustra enim quæritur, quid formæ sint, & quas habeant proprietates, si, num dētur, in dubio & controversia: quæstionem igitur ἔστιν præmittere lubet quæstioni τὸ τί ἐστὶ, & τὸ δῖόν τι. Quæstio autem omnis huc redit: An in rebus naturalibus detur forma aliqua, præter animam rationalem (eam enim concedunt omnes) quæ substantia est, eaque diversa ab altero corporis naturalis principio, Materia? Negantem plerisq; ante Aristoteles arrisisse Philosophis, restantur Conimbr. l. 1. Phys. c. 9. q. 9. art. 1. Adamus Steuartus disput. 1. de formâ, thes. 4. M. Jac. Werenbergius exercit. Metaph. undecima, theor. 6. p. m. 326. Hic ita: Cum adhuc rudis & inculta esset Philosophia, & circa cortices versaretur, nullum in substantiis agnoscebat principium, præter materiam, quam accidentibus vestitam variisq; modis exornatam ad agendum sufficere existimabat: Hinc non rarò principia materialia solùm proponunt, ne formæ quidem facientes mentionem: Et sicubi formam corporibus adscribunt, accidentalis solùm ea est: idcirco crebro eos uti leges similitudinibus ab artificialibus desumptis ad productionem corporum vel explicandam vel probandam: nempe, sicuti, inquit, ex varia literarum earundem dispositione à Typothetis effinguntur variæ voces, & sententiæ, ita corpuscula ista minima, quæ corporum naturalium principia illi ponebant, variè transposita, ac agitata, diversas repræsentant corporum species. Nec id diffiteri potest ipse Claud. Berigardus, magnus Veterum patronus, circ. 3. de princ. juxt. Vet. p. 14. & circ. 1. in lib. 1. Arist. de Anim. Alii (veteres) inquit, considerantes animam, prout opponitur organis corporeis, & terreo veluti crassamento, dixerunt esse substantiam tenuem, ut aquam, aërem, ignem: alii existimantes essentiam animæ peti debere ex partibus simul conjunctis, à quibus sola ratione distingueretur (fortè sicut forma horologii distinguitur à partibus horologii materialibus simul sumtis & unitis) dixerunt esse rationem mistionis, temperamentum, harmoniam, numerum, hoc est, perfectio-

Veterum  
opinio.



fectionem ex partium apta conjunctione prodeuntem. Et circ.  
cul. 3. in lib. 2. de Anima. Veteres non admittunt hoc prin-  
cipium (quod substantia dividi debeat, in materiam, for-  
mam & compositum) Et contendunt animam vel esse tenue  
corpus simplex, quod sua permistione constituat vivens, vel ac-  
cidens resultans ex ea permistione &c. Confer etiam ipsum  
Aristotelem l. 1. de Anima c. 4. Est autem, inquit, & alia qua-  
dam opinio de anima tradita probabilis quidem complu-  
ribus, & nulla eorum inferior, quæ de ipsa dicuntur: re-  
probata tamen & his rationibus, quæ in communibus ser-  
monibus fiunt: animam enim harmoniam quandam esse  
inquiunt: Harmoniam namque temperationem esse,  
compositionemque contrariorum dicunt: & corpus ex  
contrariis compositum esse.

Aristote-  
lis opinio.

3.  
Quæ Aristotelis de formâ sententia sit, non ita clare li-  
quet; sæpiusculè quidem formæ mentionem facit in suis  
scriptis, eamque ἐντελέχειαν vocat, sed num eam substan-  
tialem, & materiæ contradistinctam statuatur, ego valdè du-  
bito: Etenim l. 6. Metaph. c. 3. materiam solam substan-  
tiam vocat, & l. 8. Metaph. c. 16. ultimam materiam & for-  
mam idem esse docet, (ἐν καὶ αὐτό; At ταυτοῦτης Arist. lib. 4.  
Metaph. c. 9. est ἐνότης τὸ εἶναι) Unitas essentia. nec inter utrâ-  
que aliam esse copulam, quam inter æs & triangulū &c. 2.  
Phys. 12 dicitur forma non separabilis existens, nisi secun-  
dū rationem & 19. sicut simitas quæ à naso auferri nequit 2.  
de Anima 7. non oportet quærere si unum est anima & cor-  
pus, sicut neque cera & figura: at figura ratione tantum  
differt à cera. Ergo anima juxta ipsum à materia tantum  
distinguetur ratione 8. phys. c. 2. negat animal internum  
motus principium habere: verba ejus hæc sunt: Animal  
prius quiescens postea movetur ac ambulat, nullo ut vi-  
detur eorum quæ extra sunt, movente. Hoc autem falsum  
est inquit Aristoteles. Cernimus enim semper aliquid eorum,  
quæ innata sunt animali moveri, hujus autem motus non ip-  
sum animal causa est, sed id forte quod ambit, quod τὸ περὶ  
χῶν



χον vocat, quid hoc aliud est, quam Animalis Formam de-  
negare, & naturalia in artificialium classem rejicere? Hinc  
etiam ulterius formam corporum naturalium explicat  
per formam rerum artificialium. *lib. 1. Phys. c. 7 t. 69. ως γδ  
πρὸς ἀνδριάντα χαλκός ἢ πρὸς κλίνην ξύλον, ἢ πρὸς τὸ ἄλλο  
τὸ τῶν ἐχούσων μορφήν ἔστω αὐτῆς. ἢ πρὸς ἄσιν ἔχει, ἔ  
τὸ τότε τὴν αὐτὴν τὸ ὄν id est ut enim ad statuam æs, ad lecticam  
lignum, vel ad aliquid aliorum, quæ formas habent, ita scilicet  
ipsa materia, ad essentiam se habet, ἔ quod est hoc quicquam  
ἔ hoc ens.* Subsumo. Atqui Æs tantum est substantia, li-  
gnum tantum est substantia, non verò statuæ aut lecticæ  
forma, in æs aut lignum introducta: Ergò nec forma cor-  
porum ex mente Aristotelis erit substantia. Sed accura-  
tius hæc Doctiores expendant velim: Viderint interim  
rigidi isti *Peripatetici*, quid in posterum de suo *Patrono*  
sentire velint, maturè deliberent, num is, qui tam dubiè,  
tam ambiguè de rebus sentit, pro normâ possit haberi, ac  
æstimari.

4.  
Recentiores multi Philosophi, qui se autoritatibus ad-  
stringi non sinunt, formas substantiales omnes, animâ ra-  
tionali semel, ac semper exceptâ, è naturæ theatro exter-  
minant prorsus. Vide *Botios fratres in Philos. Nat. re-  
form. sect. 2. cap. 1. Excell. Adrian. Hereboord disput. 34. 35.  
36. 37. Volum. 1. disputat. select. Phocyliden in Physica Ve-  
teri-novâ. Henricum Regium in Fundament. Physic. Dav.  
Gorleum in Exercitat. Antiperipat. Nob. Renatus Cartesius*  
pro suâ modestiâ singulari, nec formas negat, nec affir-  
mat, dicitque solum se iis opus non habere in explicandis  
rebus, effectis, ac operationibus naturalibus. Acutissimus  
*Basso*, qui itidem formas substantiales negat, animadver-  
tens ad actiones eliciendas non sat esse virium in acciden-  
tibus, recurrere maluit ad causam primam, nullam in re-  
bus naturalibus causam principalem agnoscendo, sed in-  
strumenta mera. *Vid. Basso lib 2. de Formâ, intent. 2. art. 1.  
2. 3. ἔ Intent. 3. art. 1. 2. ἔ seqq.* Verum recte de his aliis-  
que



que formas negantibus philosophis iudicat. *Doct. Jac. Revius disp. Metaph. c. 10. p. 207.* Quod illi (*intelligit Boetios fratres*) ut formam substantialem è rebus naturalibus prorsus exterminent, multa comportent ad ea, quæ circa hoc negotium disputantur, exagitanda &c. *Ac post pauca.* Verum non sequitur, si formarum ortus & occasus, si earum inter se permutatio, si permissio, ac ejusmodi alia quæ ab his affirmantur, ab illis negantur, aut aliter aliterve explicantur, multam caliginem habeant, ideo ipsas formas in rerum naturâ non esse, nec si fortè argumenta, quæ pro iis adferuntur, non habeant eam certitudinem, quæ est in Mathematicis demonstrationibus, ideo esse repudianda: præsertim cum quæ ipsi formæ substituunt in easdem vel etiam majores difficultates incurrunt, sed eorum palmarium argumentum examinemus, *quod disp. 34. quæ prima est de Formis Vol. 1. Cl. Hereboordi occurrit* (dabis autem *Vir Excell.* mihi veniam, si pro philosophica libertate nemini non confessa, quam ipse sartam tectam jubes ore & scriptis, argumentum tuum sub veritatis examen revocavero: non eo me impellit vel sophisticandi, quod nonnullis solenne, nec contradicendi Viris de re literariâ præclare meritis, libido: sed sola veritas, ad quam cuiuslibet liberum patere accessum, nosti ipse, & me docuisti semper) Si detur forma corporis naturalis, erit vel substantia vel accidens: Si substantia sit, erit vel materialis & corporea, vel immaterialis & spiritualis: *prius dici non potest* (1) quia (arripe aures peripate!) nihil generabile & corruptibile est materiale, & corporeum. At omnis forma (humanam excipit autor) est generabilis & corruptibilis. *E.* Major patet ex Aristotelicorum sententiâ asserentium nullo modo materiam generari & corrumpi posse, sed ortus & interitus immunem persistere in perpetuum &c. (2) quia alias hoc pacto everteretur illud principiorum *γενήσιον* ab *Aristotele* positum, sc. principia debere esse contraria, quia quicquid sit, ex contrariis fieri necesse est. At si forma quoque sit materialis, materia & forma



ma quoque fit materialis, materia & forma non tantum non contraria, sed ne quidem diversa dici possunt: Eadem siquidem erit utriusque essentia, gradibus tantum majoris aut minoris puritatis, & subtilitatis distincta: qui plane non sufficiunt ad tollendam uniformitatem &c. *Nec posterius dici potest. Resp. Neg. minor*, & quidem quantum ad membrum posterius. *Probat Vir Clarissimus* minorem 1. à formarum generatione: quâ in re ridiculum plane est, *inquit*, quam misere se, aliosque torserint Philosophi: Summa omnium in hoc negotio speculationum huc redit. Formas non induci, sed educi ex materia: Quod formæ immateriali tribui non potest. *Resp. Dari medium.* Formæ nec inducuntur, nec educuntur, sed traducuntur: quod quid sit, dicetur infra. 2. à formarum corruptione: Unde sic arguit (1) Nulla substantia immaterialis est corruptibilis. Omnes formæ sunt corruptibiles. E. Nullæ formæ sunt immateriales. *Respond.* 1. ad maj. distinguendo inter corruptionem privativam, & corruptionem quæ fit per interitum in nihilum: Priori modo fatemur, nullam substantiam immaterialem esse corruptibilem: posteriori negamus: formæ enim quævis, animâ nostrâ exceptâ, cum in materia semper fiant, ac dependenter à materiâ semper operentur, extraque materiam, ne ad momentum, existere nequeant, hinc soluta unione, sive naturaliter, sive præter naturam, eam in nihilum abire necesse est, nisi nonnullorum *μετεμψύχωσιν* statuere velimus. 2. ad majorem: distinguendo inter substantiam immaterialem completam, & incompletam: de illa major simpliciter vera: de hac, partim vera, partim falsa. Vera de eâ; quæ independens est à materiâ, falsa de eâ, quæ dependet. 3. ad minorem, eam simpliciter veram non esse, corpora enim cum alia sint incorruptibilia, alia corruptibilia, hinc formæ etiam quædam sunt incorruptibiles: incorruptibilis planè est forma Coeli, Syderum, stellarum & Elementorum: unde ad minimum horum corporum respectu, formæ dari debent. (2) cum omnis substantia

B

imma





immaterialis sit Excellentior materiali: in genere forma-  
rum res contrario modo se habebit. Ignobilior enim, &  
ignava materia stabiliorem, firmioremque essentiam ha-  
bebit, quam vel præstantissimi Bruti anima & c. Magnum  
hoc, *pergit*, & notabile discrimen non levem semper mihi  
excitavit suspicionem, formas non inter substantias, sed  
inter accidentia esse numerandas, quæ, ut videmus, ortui  
& interitui in singula momenta sunt obnoxia. Vis argu-  
menti in eo consistit. Quod materia ex nostra sententiâ  
præstantius quid erit ipsa forma, eo quod statuatur incorru-  
ptibilis, forma verò corruptibilis. Verum Resp. non sem-  
per verum esse, quod incorruptibile præstantius sit cor-  
ruptibili: valet illud solum in iis, quæ ejusdem sunt ordi-  
nis, naturæ, & rationis: materia verò & forma ejusdem ra-  
tionis non sunt. Est igitur quidem materia incorruptibi-  
lis præstantior materiâ corruptibili, forma quoque incor-  
ruptibilis præstantior corruptibili: at materia incorru-  
ptibilis formâ corruptibili necessariò non est præstantior:  
sequeretur aliàs, accidentia Angelorum incorruptibilia  
esse præstantiora homine corruptibili & c. Cælum, tanquã  
incorruptibile corpus, esse præstantius animali quovis  
corruptibili, quæ tamen absurda & falsa sunt, cum omnia  
viventia, vilissima etiam, præstent omnibus aliis corpori-  
bus inanimatis. Adde, quod formarum præstantia non  
tam defumatur ab earum incorruptibilitate, quam qui-  
dem ab earum præstantioribus, ac nobilioribus operatio-  
nibus, & effectis. Multo adducit plura, non indocta argu-  
menta *Excell. Dn. Heereboord*: sed howerat palmarium, in  
quo examinando nunc acquiescimus.

*Nostra  
sententia.*

5.  
Quæ verò nostra de existentiâ formarum sit sententia,  
nunc cuius facile patet: formas dari substantiales non so-  
lum nunc defendimus, sed & variis argumentis contra Ve-  
teres & Recentiores probamus; (1) à compositione corporis  
naturalis, ejusque partibus essentialibus: Corpora enim  
naturalia composita esse, excepto *Gorleo*, (quem supra  
refu-



Refutavimus) concedunt omnes: Si igitur composita sunt,  
vel componuntur ex duabus substantiis, vel ex duobus ac-  
cidentibus, vel denique ex substantiâ, puta materiâ, & ac-  
cidentibus: quod posterius accipiunt adversarii. Ultimum  
dici nequit: alias enim omnia corpora naturalia forent  
entia per accidens, Ens namque per accedens est, quod  
constat partibus diversi ordinis, & prædicamenti. Mitto  
quod explicare non possint, unde accidentia, quæ materiæ  
inhærent, originem habeant: à formâ enim non sunt,  
cum eam negent, nec à materiâ, cum sit principium pas-  
sivum: unde ergo hærent hîc; & alii ad DEum recur-  
runt, ad solem alii, vel astra &c. Neque etiam dici potest,  
quod corpora nostra constent ex puris accidentibus, i.  
quia contradictio est, esse corpus, & constare ex accidenti-  
bus, tanquam ex partibus constituentibus 2. quia acciden-  
tia illa erunt sine omni subjecto; sed nullum hîc habemus  
adversarium. Relinquitur ergo quod corpora naturalia  
constent ex duabus substantiis, quarum altera se habeat  
ut potentia, & erit materia: altera verò ut actus, seu *εντελέ-  
χεια*, eritq; forma (2) ab effectis & operationibus, quæ necessa-  
riò præsupponunt causas, hæc verò nequeunt esse acciden-  
tia, quia accedens ex se, ut subsistere, ita operari nequit,  
unde requirit principium substantiale, à quo dependet,  
hoc vero non est materia, quia ea tantum principium pas-  
sivum est. E. forma substantialis (3) à corporum distinctio-  
ne essentiali & substantiali. Si non dantur formæ, E. omnia  
corpora accidentaliter solum distingventur, puta Leo à  
cane, canis à fele & camelo, quod *ἀτοπον*. Viginti sex ratio-  
nes alias pro formarum existentia adducit *Adamus Steuar-  
tus, disp. 1. de formis*, sed exigui admodum sunt roboris, & in  
plerisque est *ταυτολογία*.

6.

Probatâ Formarum existentia, hanc formæ damus defini-  
tionem, sed respectivam solum: *Forma est causa interna,*  
*per quam corpus naturale constituitur. Generis vicem susti-*  
*net causa interna: causa enim est, quia influxum verum,*

*Definitio  
forma.*

B 2

realem



realem, ac positivum præstat ad productionem compositi: tum etiam quia positiva est causa omnium operationum compositi: Hinc vulgatum illud: *forma dat operari. Arist. lib. 1. de generat. ss. Interna est*, quia pars intrinseca ipsius compositi est, in eoque manet, quoad saluum permanet compositum, quo destructo & illa destruitur. *Differentia* desumitur à propria formæ causalitate, quæ per characteristicam particulam PER denotatur & exprimitur. Per formam n. corpus est id quod est: hinc dicimus *forma dat esse rei*, tum ratione essentia tum ratione existentia sed *idem videtur etiam dicendum de materia*, nam & ea pars essentialis compositi est, ac corpori dat tum esse, tum existere: quod si igitur & materia dat esse rei, cur ergo formæ illud peculiariter tribuitur? Verum *Respondemus*, quod materia non det corpori esse tale & tale, ac specificum, nec compositi essentiam absolvit, sed inchoat saltem: Per formam autem corpus in certâ specie ponitur, eaque per formam ultimâ completur:

*Quæ sit  
intrinseca  
formæ  
essentia.*

*R. Cartesii opinio*

7.  
Sed quæ sit ipsa Formæ quidditas intrinseca ac definitio absolutè considerata, non ita facilè determinare possumus. *Illustris quidem R. Cartesius, ut & experientiss. Henr. R. Cartesius in fundamentis Physicis*, uti formam omnem substantialem, animam rationalem exceptam, negant, ita accidentalium formæ essentiam consistere putant in motu vel quiete, positurâ, figurâ &c. Unde vulgari *Regii versiculus*  
*Mens, mensura, quies, motus, positura, figura,  
Sunt in materia cunctarum exordia rerum.*

Nam ad formam caloris, *inquiunt*, constituendam non solum requiruntur variae particulae exiguae, earundemque varia configuratio, sed etiam motus vehemens, ac varius: sola parvitas particularum, Olei formam non constituit, sed ramosas etiam esse oportet, ac variè agitari & inter se repere. Sola parvitas particularum Aquæ, ejus formam sola non potest constituere, sed requiritur præterea figura earum oblonga, item tenuitas, flexibilitas & varia agitatio.



tio. Irridet hanc formæ explicationem D. Jac. Revius disp.  
15. in suo *Suarezio repurgato* p. 207. eo quod concipere non  
possit, quomodo ex hisce principiis vita brutorum possit,  
promanare: nam si ex mensura promanet, omnia quæ e-  
jusdem cum illis mensuræ essent, viverent: Si verò è quie-  
te, terra etiam viveret: quod si è motu, viveret pila in aë-  
rem projecta; nec etiam ex positurâ, aut figurâ, hoc enim  
modo viverent statuæ omnes. Sed R. Cartesius hæc omnia  
facilè enervare potest, dicendo, quod sua principia non  
sint divisim, sed conjunctim spectanda, hoc est, quod quæ-  
dam corpora consistent figurâ, positurâ, & motu, ut ignis,  
quædam quiete, & figurâ, ut glacies, quædam mente & ma-  
teriâ, ut homo; & sic in cæteris: quod idem etiam usu ve-  
nit in artificialibus. Horologium non consistit intrinsicè  
in solo ligno, vel ferramentis, sed etiam in certo aliquo  
motu: horologium enim quando horas non monstrat, ve-  
rè horologium non est. Alio ergò modo R. Cartesii sen-  
tentia evertere conamur Argumentamur ita:

*Quæ sententia 1. motum omnem intrinsecum, & natura-  
lem evertit. 2. violentum tantum statuit. 3. quieti actionem  
tribuit positivam. 4. Effectum confundit cum causa: ea senten-  
tia nature regulis adversatur.*

*Sed sententia, quæ formas substantiales negat, easque in  
solo motu, vel quiete, positurâ, figurâ & c. consistere affirmat,  
hoc facit.*

*Ergo ea sententia nature regulis adversatur.*

Majorem extra controversiam pono. Minor probatur  
ab inductione exemplorum, quæ pro suâ formâ adducunt  
R. Cartesius, & H. Regius. Ignis formam docent consistere in  
vehementi ac vario & inæquali motu. Vid. R. Cartesius c.  
2. *Meteor* §. 5. p. 210 *Experientia, inquit, docebit, in agita-  
tione parvarum partium, terrestrium corporum calorem  
consistere, si contra digitos iunctos fortiter spirantes, ob-  
servemus spiritum ore egressum, in exteriori manus super-  
ficie frigidum nobis videri, quia ibi celerrime, & æquali  
robore latus, non multum agitationis efficit, & contra*

B 3

fatis



satis calidum intra digitos, quia per illos lentius, ac inæ-  
qualius enitens, magis tremulo motu, exiguas illorum  
partes concitat &c. *Benè habet*. Sed (1) unde ille motus  
particularum exiguarum tremulus, in quo calor consistit:  
non certè à materia particularum, quia materia etiam,  
juxta Cartesium, est principium passivum. 2. quia eadem  
illæ particulæ alio modo affectæ, possunt fieri frigidæ ex e-  
ius mente: sicuti patet in experientia ab ipso paulo ante  
adducta: Ergo relinquitur quod motus, sit ab extrinseco a-  
gente (quod nec ipse negat) unde consequitur ulterius, mo-  
rum ipsum esse violentum, quia non est proprius istarum  
particularum: *excipit Regius c. 1. fund. phys. p. 9.* quod cor-  
pus impulsum ab alio corpore, proprio tamen moveatur  
motu: neque hic, *inquit*, maior est difficultas, quam si hæ-  
reditatem, *quæ à Sticho ad Seium* pervenit; *Seii* esse dicam,  
ipsique propriam, etiam si ea ab alio ad ipsum sit devoluta.  
sed respondeo, hæc gratis dici, exemplumq; de heredita-  
te à Sticho in Seium trans latà esse profus alienum, cum  
sit morale & civile, argumentari vero à moralibus ad Phy-  
sica, & naturalia, non licet. (2) confunditur effectus cum  
causa: Motus istarum particularum est causa caloris, non  
vero est calor ipse, quando chalybe, motu vehementi la-  
pidem attero, excutiuntur ex lapide scintillæ, & igneæ a-  
tomi, sed ea non sunt motus, sed oriuntur à motu, seu, at-  
ritu lapidis. Porro glaciei, & omnium corporum frigi-  
dorum essentiam collocant in quiete: nam iuxta eos quo  
particulæ alicujus corporis magis quiescunt, eo corpus ip-  
sum magis est frigidum (*vid. cap. 5. fund. Phys. Reg. p. 99.* Fri-  
gus, *inquit*, esse partium insensibilium quietem vel minorem  
motum, constat ex refrigeratione corporum effervescenti-  
um, & candescentium. Nam aqua e. g. fervida ubi defer-  
vescit ad manifestam quietem partium pervenit, & ferrum  
candens ubi nō nihil de suo calore remittit, liquores inje-  
ctos non amplius ita vehementer à se repellit, imo ubi plus-  
culum est refrigeratum, aut calor eius plusculum est remis-  
sus, relinquit liquores in superficie sua quietos) sed cōtra, si  
fri-



frigidorum particulae quiescunt: quomodo possunt agere  
& motum efficere, quod tamen nos docet experientia:  
glacies ad mota manui, manum frige facit, unde illa actio,  
si particulae qui escunt, unde tremor membrorum, stridor  
dentium in hyeme, nisi à frigore?

8.

Putamus ergò Nos, tutius esse, doctam hinc profiteri i-  
gnorantiam & dicere latere nos, quæ sit essentia forma-  
rum [ubi tamen etiam humanam formam excipio: ejus e-  
nim essentiam consistere in eo, quod sit Ens cogitans, do-  
cent Philosophi] quam temerariè aliquid pronunciare  
de iis, quæ naturæ Magister nescire nos voluit. Verè *Scali-  
ger Exercit. 307. 21.* Nego tibi ullam nobis notam esse for-  
mam plenè & planè, nostramq; scientiam esse umbram in  
Sole: formarum enim cognitio est rudis, confusa, nec ni-  
si per *ωρεῖς δόξαις*. Ita videmus, *exclamat subtilitatem Ma-  
gister, sect. 29.* angustias intellectus humani, qui dicere au-  
sus est se comprehendere species substantiarum: quippe  
Ciconiæ ad instar à vulpe delusæ vitreum vas lambimus,  
pultem non attingimus. *sect. 21.* Hoc saltem de formâ cer-  
ti habemus, quod sit substantia materiæ contradistincta,  
unde nobiliores omnes proficiscuntur operationes, & per  
quam unum corpus distinguitur ab alio. Rejicimus itaque  
*Adami Steuarti Philosophi acutissimi quidem, sed Aristote-  
lis ad mortem defensoris acerrimi sententiam*, cum formam  
semisubstantiam esse doceat, disp. 1. de Formis: Hoc enim  
pacto ex formâ monstrum facit: notum siquidem est, sub-  
stantiam non capere magis aut minus, actumq; subsisten-  
di per se, qui substantiis proprius est, esse indivisibilem.

*Nostra  
sententia*

9.

Sed quæritur ulterius, unde istæ formæ substantiales sint,  
vel unde originem suam habeant, & quo tandem abeant?  
*Vendelinus, contempl. physic. sect. 1. part. 1. c. 2. th. 2. 3. p. 135.*  
putat de ortu formæ in genere nihil posse pronunciari, ob insi-  
gnem formarum naturalium, quoad ortum, discrepantiã:  
hinc distinguit prius corpora naturalia in animata & ina-  
nimata

*De ortu  
formarum*



animata: Illorum forma anima in specie dicitur, de cujus ortu hic nihil pronunciare vult: inanimata iterum dividit in simplicia, vel mixta: formæ corporum simplicium, inquit, debent originem suam creationi: mixtorum, quæ quatenus sunt mixta, originem suam debent mixtioni & generationi: Plantarum & animantium perfectorum statuit esse ex traduce. Hæc distinctio non potest à nobis planè rejici nam corpora incorruptibilia, ut cœlum, sydera & Elementa, quam semel in creatione formã acceperunt, etiam nunc servant, unde neque vel generationi, vel corruptioni subjiciuntur: corruptibilia corpora primam suam originem debent creationi. Deus qui corpora creavit ex nihilo, & formas etiam cuique corpori convenientes indidit. Hoc solum videtur in Cl. *Wendelino* culpandum, quod generationem traduci opponat, cum realiter à se non distinguantur: formæ mixtorum, inquit, ortum suum debent generationi, animæ verò plantarum & animatorum, traduci: Nam & animæ brutorum ortum suum debent generationi, quæ tamen fit mediante traduce. Ne jam dicam, *Wendelinum* sibi contradicere, in eo quod dicat, se nihil velle de ortu animæ pronuntiare, cum tamen postea dicat, animam Plantarum, & animatorum esse ex traduce. *Questio itaque instituitur hic de ortu formarum corporum corruptibilium, & generabilium non ratione primæ originis, secundam quam à Deo ex nihilo sunt productæ, sed uti hodie sunt.*

10.

*Sententia  
Aristote-  
licorum.  
De edu-  
ctione  
formarũ.*

Scinduntur hîc *Physici* in tres præcipue partes, alii *eductionem*, *inductionem* alii, alii denique *traductionem* propugnant, ac defendunt. *Aristotelici* formas è *Potentia Materiæ educi*, firmiter credunt, propugnantque accerrime, sed in quonam consistat illa *eductio*, litigant. *Pererius lib. 5. c. 22.* explicat *eductionem* è *Materiæ potentia* per quinque proprietates, quæ conveniunt omnibus formis è *Potentia materiæ eductis*. *Educi* namque è *materiæ potentia* est (1) *produci* ab agentibus naturalibus per actiones & di-



& dispositiones materiales (2) pendere à materia in fieri  
(3) pendere à materia in esse (4) pendere à materia in operationibus (5) pendere à materia quidditative, ita nimirum, ut sine ea nec definiri, nec intelligi possint. *Gisbertus ab Isendoorn tract. 1. Phys. gener. c. 3. q. 13. Physiol Derivat.* Tribus responsionibus explicat educationem formæ à materia. *Quid est educi à potentia Materia?* Resp. 1. Nihil hoc esse aliud, quam formam pendere à materia, tum ut fiat, tum ut conservetur, seu quod idem est, formam ita pendere à materia, tanquam à subiecto, ut sine ea naturaliter nec fieri nec conservari possit. Resp. 2. ut forma dicatur educi à potentia materiae, satis non esse, si materia potentiam habeat ad formam recipiendam, vel etiam ad formam disposita sit, vel denique illam actu recipiat: Alioquin anima rationalis dicitur educi, cum respectu illius omnia hæc reperiuntur in materia, cui unita est. Resp. ergo 3. *requiri insuper ut materia causet formam non quidem efficiendo, quia hoc generationis, & efficientis causæ proprium est, sed suo modo, id est, passive & subiective concurrente, ita ut forma sine ea nec produci possit, nec conservari &c.* Hæc est Genuina Aristotelicorum de Educatione Formarum ex Aristotelicis petita sententia. *Summa huc redit. Formas educi à Potentia materiae nihil aliud esse, quam eas actu incipere in subiecto potentiam naturalem ad illas habente, & extra materiam nec fieri, nec esse, nec operari.* Hanc sententiam nemo solidius, ac accuratius refellit, quam *Excell. D. M. Sperlingius in Instit. Phys.* Nos compendio utemur & contra eos tale argumentum proferimus. Si forma educatur *Ex materia, fiet hoc vel ex aliquo præexistente in materia, vel ex nihilo. Si prius erit illud Aliquid, vel ipsa Materiae essentia, vel accidentia illius. Non ex ipsa Materiae essentia (1) quia sic formæ forent materiales non solum ratione existentiae, sed & essentiae, quod falsum. (2) quia evertitur hoc pacto Aristotelis axioma. Principia se fiant ex se invicem: Neque etiam forma oritur ex accidentibus, puta qualitatibus. I quia hac ratione & ipsa forma foret accidentalis: qualis.*

C

enim



enim causa, talis effectus: quod ipsi etiam ut absurdum ex-  
plodunt. 2 quia causa ignobilior produceret effectum no-  
biliorem: accidentia enim deterioris sunt naturæ & con-  
ditionis, quam substantia, cum per se non existant, nec  
subsistant, sed omnem suam existentiam, & subsistentiam  
à materia habeant: At hoc in Philosophiâ sanâ explosum  
est, quoniam effectus similis oportet sit causæ, & contra. Si  
*posterius*, formæ in materia productio non tam erit gene-  
ratio, quam creatio, iuxta hypothesein ipsorum: *Excipit*  
quidem *Vicomercatus de princ. rer. natur. lib. 2. c. 9.* quod  
illa eductio non sit creatio, quia præexistit materia. *Si*  
*nulla*, inquit, *materia præexisteret, creari diceretur: sed no-*  
*dum non solvit*, cum materiæ præexistentia non obstet, quo-  
m nus forma aliqua creari dicatur, si non ex illâ materiâ,  
ut principio materiali, sed in eâ tantum fieri dicatur ex  
nihilo. *Ergo, formæ nullo modo educuntur*, quod erat pro-  
bandum. Adde quod ii, qui educationem formarum pro-  
pugnant, in æternam ostendere nequeant, formæ educen-  
dæ causam efficientem, proximam, & principalem, quæ  
tamen hic maximè attendenda. Non minus verè, quam a-  
cutè *Cl. Sperlingius in exercitatione quadam Physicâ de edu-*  
*ctione formarum, Anno 1648. habitâ* hac de re ita scribit,  
*Pone*, inquit, *Galli animam è potentiâ materiæ educi,*  
postquam ex ovo facta formatio pulli est, *Quæritur de*  
*causa, efficiente, proximâ & principali animæ hujus. Ad*  
*Stellam, Solem, Lunam qui convertunt se, Remotas cau-*  
*sas dant, non proximas: calorem qui promouit, instru-*  
*mentalem causam adferunt, non principalem. Gallum*  
*ipsum si ponunt, is non agit, cum eductio formæ sit. Cessat*  
*Galli influxus, postquam peractus congressus est. Quin-*  
*& mori potest, ac mactari, antequam eductio animæ fiat.*  
*Quænam ergo causa efficiens noui huius effectus novæ a-*  
*nimæ, effectus quærit, requirit causam, quæ agit. Et post pau-*  
*ca interjecta. Autorem, & Artificem tanti operis quæri-*  
*mus merito: quem nanquam dabunt, educationi forma-*  
*rum, qui inhærebunt. Hac ille. Pluribus hanc sententiam*  
non



non obruo absurditatibus: unicum tantum addo, quod inuenio apud *Excell. Claud. Berigar. d. circ. 4. de Principiis p. 33* ubi & materiam primam, quæ in omnibus corporibus eadem numero creditur esse, & educatione formæ insigniter euersam videbit cordatus Lector. Exemplum, inquit, statuamus in materiâ grani alicujus hordeacei, in quam continenter introducatur forma ignis, & continenter hæc forma separetur à Deo, & conseruetur, ex eadem quoque materiâ, si vis, aliæ omnes formæ exsuscitentur, infinitus formarum substantialium evadet thesaurus, quo mundos infinitos collocupletet minimo sumptu, quippe ex eadem materiâ extensionem, seu quantitatem educendo, materia quoq; fiet infinita, cui si restituatur omnes formæ naturaliter ex eaeductæ, ad mundos infinitos sufficiet unum hordei granum: jam vero, si ita liceat materiam deglubere, ut formæ seorsim existant, veluti stirpes eradicatæ, & illa remaneat instar glabreti, quæritur, unde illæ formæ substantiam suam acceperint, non enim ortas dicitur ex nihilo. Respondetis, à materiâ, è quâeductæ sunt. Hoc vero superat fidem, quam jure iurando obligastis Aristoteli, *tot substantias è folliculo materiæ deglubi, nec istius partem ullam ad eas transire*: illa enim remanet integra, perinde ac si nihil ab ipsa prodississet, & quod *incantamento simile est, emedullata non emaciatur, non inanitur euacuata, multiformi partu nunquam est effata, spoliata non pauperatur, mirabilior ovis Phryxi, quæ, detonsa fit lanatior &c.*

11.

Doctissimus Medicus Fernelius videns educationem formarum in natura subsistere non posse, *de inductione formarum*, arripuit sententiam, statuitque formas à celo & astris in materiam benè præparatam naturali quadam necessitate introduci, Lib. 1. de Natural. rer. Caus. c. 7. p. 89. Sed nec hæc opinio speciem veri habet (1) quia causam solum generationis statuit universalem, non particularem, seu determinatam, quæ tamen vel maximè requiritur: Equus, quare est equus & non Leo, An quia formam

Sententia  
FERNELII.  
De inductione formarum.





nam suam habet à caelo & aëre? non. Nam & aëra eadem, formam Leonis, ex eius mente producent, unde ergo? quia nimirum formam equinam habet, ac accepit à Parente, Equo &c. 2. quia omnem generationem statuit æquivocam, non univocam, quod absurdum in Phisicis. 3. quia ex hac sententia, explicari non potest generatio metallorum in imis terræ visceribus, cum eo usque radii solares non pertingant, quorum tamen originem è caelo deducit Argumenta contraria *Fernely* in ipso Conflictu examinabimus, ac solvemus.

12.

*Nostra*            Cordatior Phisicorum circa formarum ortum sententia  
*sententia*        est, Formas omnes corporum generabilium traduci, quod  
*de forma-*        ut intelligatur, notandum est, primo, quid sit Tradux. Tra-  
*rum tra-*        dux ergo nihil aliud est, quam propago ab arbore lecta, &  
*ductione*        & in aliam arborem, sive eiusdem, sive diversæ speciei tra-  
                      ducta, ut generationis opus perficiatur: sic in cerasi trun-  
                      cum, cerasi furculi inseruntur, in truncum pyri, furculi  
                      pyri: malorum furculi moro infixi, rubra ferunt mala.  
                      trunco Pyri, si furculi cerasi, mali, pruni inserantur, di-  
                      versissimos fructus una edet arbor: Ut autem commodè &  
                      idonea insitio seu ἐμφύτεσις fieri possit, observandæ quæ-  
                      dam sunt leges 1. Lex est, frangendos esse furculos pragnan-  
                      tes & gemmis tumentes, 2. Lex est, Petendos esse furculos ex  
                      opportuno arborum loco & opportuno tempore. 3. Lex est,  
                      inserendos esse furculos non arboribus vetustis, non ulcerosis,  
                      aut aduenis plane contrariis. 4. Lex est, furculos recisos ar-  
                      te coniungendos esse trunco, ne rima detur, quæ aquis aut  
                      aeri concedat aditum. 5. Lex est, ne nimis discrepent à stipitis  
                      natura furculi in tempore generandi flores & fructus: futu-  
                      rum alioquin, ut vel citius, vel tardius suppeditet alimen-  
                      tum truncus, quam furculi poscat natura. Quæ si obser-  
                      vent Hortulani, jam è voto succedet ἐμφύτεσις. Conf. Cla-  
                      riss. *Sperlingius* dissert. de Traduce. cap. 2. pag. 7. Notus ta-  
                      men hortulani etiam alius ad propagandas arbores  
                      modus est, qui *Inoculatio* vocari solet, quæ fit, cum

cxi-



exigua aliqua fistula oculo prædita, præciditur, ex hæc  
lignum eximitur, cortexque cum oculo alteri arbori  
delibratæ immittitur. Sic novæ fiunt arbores sine surcu-  
lo, & ut vulgus judicat, sine semine solo cortice. Sed gem-  
ma hærens cortici seminis tenet partes, novamque gignit  
arborem: atque hoc modo in Plantis formarum ostendi-  
tur origo: nam furculus iste, qui trunco inseritur. num a-  
nimatus est, num animæ expers? inanimatum nemo faci-  
le dixerit, cum è mortuis furculis non expectanda propa-  
gatio: ergò animatus est; unde verò animam habet, non  
à cælo aut astris, cum proxima sit ostendenda causa, ergò  
à propriâ matre, seu arbore, sed quando accepit à matre?  
cum inesset arbori, non postquam separatus est: quomo-  
do verò animam accepit? per generationem, cujus termi-  
nus forma est: sed quonam medio accepit animam? gem-  
mæ medium sunt, quibus læsis aut sublatis, desperata res  
est: Idem tenendum de inoculatione, ubi pari modo ani-  
ma planti traducitur. Ab his ad generationem brutorum  
ac hominis nomen & res est deducta: ubi terminus tamen  
purificandus ab imperfectione: Non enim ita, ut idem nu-  
mero furculus jam tum existens ab unâ arbore, in aliam  
traducitur, sic eadem numero anima à Parente in filium  
transvehitur, sed nova planè fit, quæ ante non erat. Tra-  
dux igitur, *annotante Cl. Eccardo Leichnero disp. 10. exercit.*  
*9. sect. 1. §. 13. 14.* concretivè in sensu specialissimo (1) de-  
notat idoneum alicujus arboris, vitis alteriusvè plantæ *ἀ-  
πόσπασμα*, (q. d. avulsa particula) per quod fit fierive po-  
test generativa ejus propagatio: ita ut eadem ratione (2)  
laxiori in sensu quibusvis plantarum & animalium fœcun-  
dis seminibus id nominis conveniat. Abstractivo verò tra-  
ductionis nomine ea ipsa (3) designatur traductiva, & pro-  
pagativa, seu per Traducem facta corporeæ naturæ multi-  
plicatio & productio, ita ut hoc sensu Traductio cum pro-  
pagatione, ejusdem naturæ effectivâ communicatione &  
multiplicatione, coincidat ferè. Interdum tamen (4) in-  
super habitâ *concreti & abstracti* distinctione, per Tradu-  
cem



cem ipsa intelligitur traductio. Plurimum igitur fallunt  
& falluntur, qui (5) per traductionis appellationem opi-  
nantur (NB) nudam hic designari alicujus rei, puta anime,  
de uno subjecto in aliud subjectam transvectionem, non  
verò ipsam traductivam productionem: Quippe in tradu-  
ctione anime brutorum, & hominum non decisio aliqua, aut  
divisio imaginanda, sicut in surculo; sed ejusdem nature nu-  
mero quidem diversa, specie tamen ejusdem, effectiva commu-  
nicatio, ac multiplicatio. Verum posset quis objicere, qua-  
re ergò in explicandâ animæ brutorum, & hominis pro-  
ductione, utimur voce Traducis, quæ Plantis tantum pro-  
pria est, ac in se quandâ μετέβασις involvit, in eo, quod  
surculus aliquis ab arbore, puta ceraso, sectus, transporta-  
tur & inferatur in truncum pyri, sed Resp. quod significa-  
tio & nomen Traducis surculi, translatus sit ad explicatio-  
nem productionis anime animalium, solum per analogiã,  
quæ non consistit in illa transvectione & μετέβασις, sed  
in eo, quod sicut surculus animatus, & vivus est, sic & homo  
generatus in utero: sicut ille animam suam non accepit ab  
astris & cælo, quia causæ remotæ sunt, nec post elabora-  
tionem, & organizationem integram, quia interim per-  
di, amputari & comburi arbor potuit, efficiens illius sur-  
culi causa; sed ab arbore, cum inesset arbori &c, sic & ho-  
mo, & brutum quodvis, cum eorum generatio plantarum  
generatione non sit deterior. Ratio eadem militat in me-  
tallis: ut enim in Plantarum generatione simile à simili, sic  
& in metallis, aurum ab auro, chalybs, à chalybe, æs ab æ-  
re, ferrum à ferro: ut ibi actu adest anima corporis sui for-  
matrix, sic in metallorum seminis actu adest forma auri,  
argenti & ferri effectrix. His de nomine & natura Tradu-  
cis præmissis, ulterius Traductivam omnium Formarum  
in corporibus naturalibus generabilibus perfectis origi-  
nem demonstramus: (1) à Generantis formali definitio-  
ne: generare est naturam & essentiam suam propagare: at-  
qui omnia corpora generabilia generant. Ergò & essen-  
tiam suam propagant. Si essentiam suam, E. & materiam,  
& for-



& formam, quia in duobus hisce essentia corporum consistit: certè si generans materiam suam solum propagaret, non communicaret essentiam suam genito, sed partem tantum suæ essentiæ, & quidem vilissimam. (2) Ex animæ in semine foecundo præsentia: quam animæ in semine præsentiam indubitato colligimus ex animæ operationibus, quæ partim consistunt in seminis, ac conceptus vivificatione, partim etiam partium omnium, quæ ad vitæ actiones edendas, necessariae sunt, efformatione: quod opus admirandum ab ipso Galeno vocatur *τέχνη καὶ σοφία μείωσις*, unde ipse etiam Aristoteles semini sapissime tribuit actum, & licet *lib. 2. de gen. an. c. 3.* semen animam potentiâ habere doceat, non actu; tamen certum est ipsum *δύναμις* opponere non *τῆ ἰσότης*, sed *τῆ ἐνεργεία*: forma enim duplex est *officium, & informare, & operari*: hujus respectu anima aliquâdo potentia potest dici inesse semini, non tamen illius respectu: quia ipse actus informandi est de natura animæ (3) demonstratio pro traduce etiam desumi potest ex *Gen. 1. 28.* ubi de hominibus dicitur. *רבו פרו וקדו*, quod idem etiam *c. 8. 17.* dicitur de brutis & omnibus animantibus. Verum hæc loci & fori sunt alterius, Nos *intra Sphæram Nature* nos continere volumus, ne fallacem in alienam messem immittere videamur.

13.

De interitu formarum etiam non consentiunt Physici. *D. Job. Lippius l. 2. c. 1. metaph. Mag.* putat omnes formas, siue in corpore, siue extra corpus existiterint, duraturas ad Mundi dissolutionem usque. Communis *Peripateticorum sententia est, eas abire in privationem, seu in Non ENS privativum.* Sed hæc sententia jure merito rejicienda videtur: nam Privatio illa, in quam forma abit, vel est proxima, vel remota. Si proxima, ergo eo momento, quo ea ponitur, ponitur & forma; at sic non tam abeunt formæ, quam redeunt: Si remota, æquali se implicant difficultate: nam sicut nulla forma ex universali, ac remota oritur pri-

De interitu  
Formarum.



privatione, Sic & in eam nulla abit forma. Acute Clariss.  
Job. Lippius l. c. p. 389. de hac formarum per privationem  
corruptione sic differit. Si forma Lupi abit in nihil privati-  
vum, quero quid sit illud privativum, integra manet que-  
stio: semper enim quero. Nihil illud privativum, aut est  
Ens, aut Non ens, aut principium Entis, aut Affectio? Respon-  
des, Abit in Ens potentia. Nunc videris aliquid respondisse? sed  
nihil respondisti. integra est questio. Sic te premo, illa Materia  
potentia, est Aut substantia, aut accidens: Si substantia, aut  
corpus, aut spiritus, vel, ut tu vis, vel materia, vel forma, vel  
compositium. Sed potentia materie nec est ipsa materia, aut  
dicas formam interire in materiam: nec est forma, siquidem  
forma, in formam non interit: multo minus est compositium.  
Quid ergo est? Dicis cum Zabarella accidens: sed quomodo  
substantia potest degenerare in accidens? Dicis est modus entis.  
Scil. egregium illum modum entis? tam eris absurdus,  
ut rem in modum suum interire dicitur velis? Dixerisne sub-  
stantiam in materia prima modum interire? Quid est ille  
modus? crassissima nuga. Vide quorsum delabantur Veritatis  
osores! Nos ergo putamus, omnium corporum corru-  
ptibilia formas annihilari, anima rationali excepta: nec  
est quod quis regerat, annihilationem esse potentia infi-  
nitae, adeoque virtutis supernaturalis, nam (1) illud omne est  
naturale, quod cuius corpori auctor Nature in prima creatio-  
ne indidit; sed naturam formae hanc Deus esse voluit abi-  
nitio creationis, ut soluta unione, in nihilum abieret.  
Ergo hoc ipsi est etiam naturale, non supernaturale. 2. fal-  
sum est etiam, quod simpliciter annihilatio actionis sit di-  
vinæ, quia multa alia annihilari videmus naturaliter,  
Lumen enim candelæ extinctæ, species intelligibiles, o-  
mnesq; actiones mentis quo abeunt nisi in nihilum?

14.

Diviso  
forma.

Forma alia est generica, alia specifica. Forma generica est  
quæ speciem non constituit, magisque materiae quam for-  
mæ rationem habet. Hinc forma generica dicitur quidē  
actum



actum dare, sed valde imperfectum, ac cum potentia. Estque vel *subordinata*, vel *partialis*, vel *accidentalis* vel *generica* in specie sic dicta. Specifica est, quæ speciem constituit, certarumque affectionum & effectorum causa existit. Vide de hisce differentem *Clariss. Sperling. lib. 1. instit. c. 3.* ad quem brevitatis causa lectorem remittimus.

15.

Haecenus causas corporis internas, materiam scilicet & formam seorsim spectavimus: conjunctim consideratae, nomine Naturae considerandae veniunt. *Natura est causa interna, quæ quodvis corpus naturale suam habet essentiam, affectiones, & passiones.* Dicitur causa interna, ut ab arte distinguatur, quæ extra est, & constituta essentia extrinsecus accedit, ut in horologio videre est. Ars non affectiones, actionesque largitur, sed moderari, perficere, & consummare conatur. Sic ars lapidi, ligno, ferro, aeri figuras infert, & naturalem aptitudinem, quantum potest, perficit.

*Definitio  
naturae.*

16.

Peripatetici cum Praeceptore suo Aristotele ex *2. Phys. 1. text. 3.* Naturam definiunt, per principium & causam motus, ejus in quo inest primo per se, & non secundum accidens. Ubi singulae voces, ac particulae singulas fere controuersias mouent: Nam quaerunt (1) an voces illae, *Principium & Causa*, generis loco positae, idem significant? alii voce Principii causam efficientem solam denotari putant, Causae vero, Materiam, ut Burlaeus facit: Nonnullis videtur nomen principii significare *materiam, & formam*: causa vero finalem causam. Pererius. lib. 7. princip. rer. nat. c. 4. unum prorsus, & idem significare affirmat *Wendelinus contempl. phys. sect. 1. part. 1. c. 3.* putat, *Naturam* dici *causam* ob formam potissimum, & principium ob materiam, ne, solius causae mentione facta, à definitione naturae, materia videatur excudi. (2) An natura prout ab Arist. definitur, sit res quaedam absoluta, aut relata? Fonseca, *Wendelinus*, putant naturam rem esse absolutam, negant alii (3) an sit principium motus, & quietis activum tantum, an passivum tantum, an activum & passivum simul?

D

*Avi-*





*Avicenna* contendit Naturam non nisi principium acti-  
 vum esse. *Cesalpinus* naturam tantum principium passi-  
 vum esse vult, respectu tam formæ, quam materiæ. *Zabarel-  
 la* principium passivum, & activum esse contendit, sed se-  
 cundum solam formam, lib. de nat. c. 7. communior sen-  
 tentia docet, naturam esse principium passivum respectu  
 materiæ, activum respectu formæ (4) utra magis sit natura,  
 Materia; an Forma? *Claud. Berigardus* sub persona *Aristei* circ. 5.  
 p. 37. Formam tantum esse naturam existimat, vultq; verba il-  
 la *Arist.* καὶ μάλλον φύσις αὐτῆ τῆς ὕλης, non esse vertenda  
 (& magis natura hæc est quam materia) sed legendum es-  
 se (& potius natura hæc est, quam materia) ita ut sensus e-  
 rit, naturam esse substantiam ea ratione conformatam, ut  
 sit principium motus efficiens. Alii formam magis natu-  
 ram quidem esse docent, neutiquam tamen materiam ex-  
 cludendam volunt (5) an vocula, ET, sumenda sit copu-  
 lativè, an disjunctivè, id est, an natura sit principium mo-  
 tus & quietis simul? an motus vel quietis, aliqui docent,  
 disjunctivè esse accipiendū, ut καὶ ab *Arist.* pro ἢ sit positū.  
*Fonseca* nec copulatum tantum, nec disjunctum tantum a-  
 gnoscat, sed partim disjunctum, partim copulatum.  
*Vendelinus* particulam ET sumit copulative, ita ut na-  
 tura sit principium quietis & motus simul, non tamen co-  
 dem tempore, sed successivè &c. & quæ plura hic otiosè &  
 cum tædio movent Scholastici & disputant: ut non imme-  
 rito cordati *Physici* judicent, definitionem hanc ob sum-  
 mam ambiguitatem, & ταυτολογίας quæ in ea occurrunt  
 passim, esse rejiciendam.

Proprieta-  
 tes na-  
 turae.

Circa doctrinam naturæ sequentes etiam sunt obser-  
 vandæ proprietates (1) generalit; Naturæ affectio est, quod  
 per divinam concurrentē potentiam unumquodq; ad il-  
 lam pertinens, quantum potest in eodem maneat statu,  
 donec inde ab alio deturbetur: nihil enim sibi ipsi adver-  
 satur, nec quicquam nisi ab adversario suo destruitur. (2)  
 Natura nihil agit frustra, sed semper ob finem. (3) Natura  
 unicuiq; suum tribuit, proportionē geometrica: nam lar-  
 gitur unicuiq; eam perfectionem, quæ conditioni ejus est  
 conveniens. (4) Natura non facit saltum (5) Natura utitur

c on-



compendio, agitque per lineam brevissimam, hinc illud  
*Aristotelicorum. Frustra fit per plura quod æquè bene fieri po-*  
*test per pauca.* Ubi tamen observat Cl. Phocylid. c. 1. Phys.  
 vet. nov. quod particula *æquè benè* sit superflua, quia rela-  
 tionem notat, quæ duos necessario terminos requirit; At  
 in hoc axioma nulla est relatio, cum res una, eademque  
 non possit habere relationem ad se ipsam, nec dici v. g.  
 quietem æque bonam esse ac quietem. Cum igitur dicitur,  
 frustra fieri pluribus mediis, quod paucioribus expediri  
 potest, intelligitur utiq; id, quod faciendū est, eandem rē,  
 & non duas diversas esse debere, & quia res eadem non  
 dici potest æquè benè facta, ac eadem illa, ideò patet par-  
 ticulam illam *æquè benè* redundare, esseq; relationem ta-  
 lem quæ uno solo termino constat i. e. nullam.

18.

Coronidis loco hic etiam potest quæri: in quonam, Na-  
 tura ab Arte differat? equidem cum *Regio objectum* esset,  
*si forme non sunt substantia, opificia DEI & natura, per cre-*  
*ationem, aut generationem producta, essentialiter & univoce*  
*eadem erunt cum operibus artis,* responsum dedit, absurdum  
 non esse si statuatur, res naturales ab artificialibus, auto-  
 matis genere non differre, nam automata artificialia, ut  
 horologia (verba *Regii sunt ad thes. 2. & 4. Voetii p. 47.*  
*80*) sunt etiam operibus naturæ annumeranda, quia &  
 ipsa *natura* sunt prædita, cum habeant internum agendi,  
 patiendi & cessandi principium, quod à partium confi-  
 guratione & motu dependet. Nec est quod dicant, *inquit,*  
 horologium ab externo motore moveri, quæ est manus  
 Artificis, aut ei vicarium pondus appensum, aut spira cha-  
 lybea contorta: nam 1. pondus appensum, & spira contor-  
 ta sunt causæ moventes internæ, cum sint horologii par-  
 tes essentielles, seu integrales: his enim sublatis horologiū,  
 non est integrum. Et 2. Etiam si horologium ab externo  
 motore moueretur, illud tamen omnibus rebus naturali-  
 bus, excepto homine, esset simile, utpote quæ eodem mo-  
 do per auxilium externi motoris agunt: cuius rei eviden-  
 tissimum argumentum præbent stirpes & animalia, quorū  
 nulla



nulla vivunt, nec alias actiones. sine externo motore, ut  
sole, aere, alimento, similibusque aliis perficere possunt.  
*Hec ille, Cui adde illustr. R. Cartesium part. 4. Principio-  
rum Philosophiae p. 299 § 203.* putant tamen res artificiales  
differre à naturalibus, ut magis & minus, seu Perfectionis  
gradibus: nam naturæ, quæ quotidie generantur, etiam vi-  
lissimæ, tam admirando artificio, secundum mechanicas  
leges sunt factæ, ut automata etiam, ab homine confecta,  
nullo modo ad istarum *argi. Betas* accedere possint, ut ap-  
paret e. g. in horologio, cuius paucissimæ rotæ cum innu-  
meris ossibus, nervis, venis, arteriis, etiam sanguine, & Spi-  
ritu vilissimi alicuius animalculi nullo modo sint com-  
parandæ. Verum in hoc discursu multa desiderare possent  
Philosophi, (1) quod horologio internam motus principii-  
am tribuat, non nego quidem, figuram illam externam  
& ferramenta, rotulas, lignum, dici posse quodammodo  
per quandam analogiam partes essentielles intrinsecas,  
sed motum istum, intrinsecum esse, h. e. quod negamus:  
cum illæ rotulæ per se non moveantur, sed ab alio, puta  
extrinsecò, non aliter ac globuli mouentur à manu pro-  
jicientis. Neque etiam ulla est sequela, pondus appensum,  
Ferramenta &c. sunt partes integrales. E. sunt principii-  
um intrinsecum motus: cum partes integrales possint  
manere salvæ, sine ullo motu, v. g. in ipso horologio, ubi  
pondus appensum, ferramenta, imò & figura tota ma-  
nent, cum tamen sæpe hoc horologium horam non mon-  
stret (2) quod stirpibus deneget motum extrinsecum, ex eo  
quod actiones & operationes suas non exerant sine mo-  
tore extrinsecò, sole, Luna &c. Quasi hæc duo pugnent:  
subordinata illa sunt, quæ se mutuo non tollunt. Sol &  
ho<sup>m</sup>o generant hominem, nec tamen inde sequitur, Er-  
go ho<sup>m</sup>o non generat. Sol, astra, causæ sunt remotæ & u-  
niuersales: proximæ sunt, homo, Leo, equus, planta: Ho-  
rologium vero ex se intrinsecum motus principium non  
habet &c. Quod autem artificialia substantialiter, ut ita  
loquar, distinguantur à naturalibus, probatur, quia na-  
turalia corpora sunt in prædicamento substantiæ, artifi-  
cialia vero omnia in prædicamento qualitatis.

TANTUM.



Nov. 2000 <sup>8d.</sup>











12

M PHYSICARUM  
D TERTIA.

ET NA.

R A.

m DEO

lum publicè placido Eruditorum  
proposita.

SIDE

FRID. Tatinghoff

Batavo,

dente

SETHO,

Boruff.

Augusti.

BERGÆ.

ES HAKE. MDC LII.